


Dr. Stos.
Wg
M





Y 39
ock



Artis Memoriae,

Seu potius Reminiscentiae,

PARS SECUNDÆ:

QVA EA, QVÆ
HACTENVS DE ME-
MORIA, TAM NATVRALI IV-
VANDA, QVAM ARTIFICIOSA AC-
quirenda, à doctissimis quidem viris, nimis tamen
obscure, atq; inuolutè fuerunt per-
tractata: nunc in gratiam stu-
diosæ juuentutis,

PER QVÆSTIONES SEV EROTEMATA,
tam clare & perspicue enucleantur: vt porrò etiam
ipfis pueris maximo possint esse usui.


Authore,

IOH. SP. HERD.



FRANCOFVRKI: Per Ioachimum Bratheringium.

M. D. C. III.



QVÆSTIONES DE ARTE MEMORIÆ.

Quid est Memoria?



St comprehensio eo-
rum, quæ præterierūt, Definitio
memoriæ
quorū adhuc aliquid
præsens sensu detine-
tur. Vel: Est retentio
& possessio atq; con-
seruatio eorum, quæ mens nostra per-
cepit. Vel: Est quoddam naturæ mu-
nus, quo omnis disciplina constat &
augetur. Vel: Est omnium scientia-
rum reseruaculum & custos. Hinc à
Quintilio thesaurus eloquētiæ ap-
pellatur.

Quotuplex est Memoria?

Duplex: Naturalis & Artificiosa.

Diuisio
Memoriæ

Quid est memoria naturalis?

Est quæ animis nostris insita est, & Memoria
Naturalis
quid?
simul cum cogitatione nata, sine artis
introductione. Hanc Quintilianus in

A 2

pueris

4 DE ARTE

„pueris laudat. Sic enim ait: *Præcipuum
ingenij signum in pueris memoria est.*

Eius duplex est virtus, scilicet facile
percipere & fideliter continere.

*Potestne naturalis memoria esse
perfecta?*

Nemo mortalium eam vñquā ha-
buit, aut habet perfectam. Quantò
enim naturalis memoria est hebetior,
tantò ad artificiosā imbecillior. Con-
trà, quantò naturalis est vegetior, tan-
tò ad artificiosam expeditior. Quem-
admodū enim ex natura primum me-
diocriter pingentes, arte percepta, e-
vadunt egregij pictores: ita qui natu-
rali pollent memoria, arte percepta
mirabilem consequuntur memoran-
di virtutem. Ait enim Cicero: *Memo-
ria non solum à natura proficiuntur, sed et-
iam haber plurimum artus, & industria. Et
rursus: Simonides inuenisse fertur, ordi-
nem esse maximè, qui memoria lumen af-
ferret. Itaque iis, qui hanc partem ingenij
exercerent, locos esse capiendos, & ea, quae
memoria tenere velint, effingenda animo,*

Cic. lib. 2.
de Orat.

atq

REMINISCENTIA. 5

atq; in his locis collocanda: sic fore, ut ordinem rerum, locorum ordo seruaret, res autem ipsas rerum effigies notaret, &c.

Quid est memoria artificiosa?

Est quam confirmat inductio quædam, & ratio præceptionis. Memoria
quid? Vel: est artificiosa dispositio imaginaria rerum sensibilium in mente, super quas memoria naturalis reflexa commouetur & adjuuatur, vt priùs apprehensa facilius, distinctius & diutiùs valeat recordari.

Ad quid valet artificiosa memoria?

Ad duplicem retentionem, permanentem scilicet, & transitoriam.

Retention permanens est, per quam aliquam scientiam ordine traditam, perpetuò memoriæ commendamus.

Retention transitoria est, per quam Doctor lectionē, aut disputationem, Concionator Concionem, Aduocatus causam suam, ad modicum tempus memoriæ commendat.

Quot accidunt memorie?

Corruptio, diminutio & ablatio.

Aliquando enim, corruptitur me-

A 3 moria.

DE ARTE

moria, aliquando diminuitur, aliquando penitus aufertur. Corrumptur, quando scilicet rerum præteritarum obliuiscimur. Diminuitur, quando accedunt passiones, ægritudines, & certi morbi: aufertur, quando vehementer læditur cerebrum, aut eius aliqua pars.

Quis me-
moriae ar-
tificiosa
inventor.
Cic.lib.2.
de Orat.

Quis fuit inuentor artificiosa memoria?
Simonides. Sic enim ait Cicero, lib. 2. de Orat. Simonides cum cœnaret Cranone in Thessalia, apud Scopā, fortunatum hominem eū nobilem, ferunt nunciam ei, ut prodiret: iuvenes stare ad ianuam duos quosdam, qui eum vocarōt, surrexisse illum ipsum, prodisse, vidisse neminem. Hoc interim spacio cōclane illud, ubi epularetur Scopas, cōcidisse. Ea ruina ipsum oppressum cum suis interiisse, quos cum humare vellent sui, nec possent obiritos internoscere ullo modo; dicitur Simonides, ex eo quod meminisset, quo eorum loco quisq; cubuisset, demonstrator uniuscuiusq; sepeliendi fuisse. Has cum re admonitus inuenisse fertur ordinem esse maxime, qui memoria lucem adferret.

Qpd

REMINISCENTIA.

7 Memoriæ

artificiosæ
cultores.

Qui fuerunt huius artis memoriae studioſi?

^a Simonides (vt iam dictum eſt) hanc

a Cic. I. 4.

attem primus excogitauit, quam cùm Academ.

Themistocli quidā obtulisset, ille re Quæſt.

spondit, obliuionis mallem: nam mul chus in vi-

ta memoro, quæ nolle, obliuisci non ta Themis-

possim, quæ vellem. ^b Eundem tamē stoclis.

tradunt, huius artis adminiculo intra A Gellius

annum optimè locutum esse Persicè. lib. x. c. 17.

^c Mithridatem verò viginti duas lin Plin. lib. 25.

guas calluisse.

^d Crassum itē prædiuitem illū, cùm

Asiæ p̄cesset, quinq; Græcorū linguas bell I. 10. c.

fictenuisse, vt qua quisq; apud eū lin

gua postulasset, eādem ius sibi redditū

ferret. ^e Cyrus dicitur hoc studio om

nium militū tenuisse nomina. ^f Seneca

ca testatur, se adiūmēto huius artis, in lib. I. De-

lectione magistri sui, duo millia voca

bulorum memoriae commēdasse, quæ

lectione finita, co ordine, quo dicta c

rant, & retrogrado, memoriter recita

uerit. ^g Cyneas missus à Pyrrho legat

ad Roman. postero die nouus homo &

senatū & omnē circūfusam plebē suis

nominib. salutauit. ^h Carneades pluri-

de Orat.

8

DE ARTE

i Plin. So
lin. Cic.lo-
tis allega-
tis.

i Metrodorus , plurimūm & Cicero,
qui hac arte nomen suum adeò insi-
gne reddidit, vt à plerisq; viris aureum
eloquentiæ flumē sit appellatus, eius-

k Sabel. I. que^k nomen pro eloquētia in ora ho-
7.c.7. minum abierit. Nostro autem seculo

consummatissimus fuit in hac arte,
clarissimus vir Petrus Rauēnas, utrius-
que Iuris Doctor: vt & Iohannes Co-
sung lib. I. letus, Theologiæ & Iurispr. D. & alij.
c. 12. §. 1.

Quis est effectus memoriae?

Fab. Quin-
til.

Effectus
memoriae
quis?

Res vetustas, vt Quintilianus ait:
ex longo interuallo repetitas, rursus
reddere & offerre. Nonne, inquit, hæc
miravarietas est memoriae: excidere pro-
xima, inhærere vetera, hesternorum obli-
uisci, exacta pueritiæ recordatio.

Quis est fructus memoriae?

Fructus
memoriae
quis?

Verba Ci-
ceronis l.
2. de Ora-
tore.

Tenere quæ diceris, quæq; ipse cogitā-
ris; omnes fixas esse in pectore sententias,
omnemque descriptum verborum appara-
tum. Ita audire, vel eum, unde dicas, vel
eum, cui respondendum sit, ut illi nō infun-
dere in aures orationem, sed in animo vi-
deantur

REMINISCENTIA. 9

deantur inscribere. Itaq; soli qui memoria
vigent, sciunt, quid & quatenus, & quo-
modo dicturi sint, quid cui responderint,
quid supersit: iidemq; multa ex aliis causis
aliquando à se acta, multa ex aliis auditæ
meminerunt. Videlicet enim hoc prudenter Si-
monides, ea maximè animis effingi nostris,
quæ essent à sensu irradita atque impressæ.
Hæc Cicero.

*Distantne Intellectus, Ratio, Sensus,
Opinio, & Memoria?*

Maximè. Intellectus res concipit &
apprehendit: Ratio discernit: Memo-
ria tenet & conseruat. Item, sensus est
præsentium, opinio futurorum, Me-
moria præteritorum.

Quid obstat memoria?

Vsus literarum. Nam quæ scriptis re-
posuimus, ea velut custodire destinamus, &
cum securitate dimittimus, teste Quinti-
liano.

*Quibus rebus constat artificiosa
memoria?*

Sicut tabula constat cæra & literis: Lib. 3. ad
sic memoria artificiosa constat locis Herenni.

A 5 & ima-

10 DE ARTE

& imaginibus. Loci sunt tanquā charta, vel tabula, quibus res inscribuntur. Imagines sunt characteres, & similitudines rerum, quas memoriæ commēdare volumus. Utimur ergo locis pro cæra, & imaginibus, pro literis. Imagines sicut literæ delentur, loci ut cæra remanent. Quemadmodum enim, qui literas sciunt, possunt id, quod dictum est, scribere, & ea, quæ scripserunt, recitare: Ita, qui μνημονικὰ didicerunt, possunt hac arte, quod audiuerunt, in suis locis collocare, & ex iis memoriter pronunciare. Breuiter, sicut locis pro cæra, sic simulachris, hoc est, imaginibus pro literis utimur, esse Cicerone.

DE LOCIS.

Quotuplicia sunt loca?

Duplicia: naturalia & arte fabricata: hoc est, locorum quædam cōstituit natura, quædam ex cogitātur ingenio.

Quae sunt loca naturalia?

Montes, prata, agri, sylvae, rupes, vallcs,

REMINISCENTIA. II

valles, fontes, stagna, fluuij, & his similia. His raro utimur.

Quæ sunt loca arte fabricata?

Hæc sunt in triplici differētia: Quædam sunt loca maxima: vt, monasteria, collegia, templa, domus. Quædā maiora: vt, cubilia, triclinia, refectoria. Quædam minora: vt, parietes, anguli, fenestræ, ianuæ.

Quid de locis cœlestibus sentiendum?

Quintilian. de Metrodoro ait: Habet sibi sua loca, nos simpliciora tradimus. Hic enim Metrodorus habuit 360. loca in duodecim signis circuli Zodiaci. Sed vanitas fuit, atque iactatio, circa memoriam suā arte potius, quam naturā gloriantis.

Quid autem de locis imaginariis?

Loca imaginaria prohibentur incipientibus. Non enim debemus imaginationem addere imaginationi.

Quid verò de locis triangularibus?

Loca triangularia sunt inutilia, propter notationem quinti loci.

Liberas

Quibus ergò locis utendum est?

Locis illustribus, explicatis & modicis interuallis.

Da conditiones locorum.

Lib. 3. ad
Her.

1. Plures loci esse debent. Ut plures imagines collocare possimus, locis abūdare oportet, ait Cicero: *Qui multa voluerit meminisse, multas sibi loca comparet. Oportet multos comparare locos, ut in multis locis, multas imagines collocemus.*

2. Loca inter se non sint nimiùm vicina, aut nimiùm distantia. Vicinitas enim locorum memoriam turbat: nimia distantia promptitudinem memoriae impedit: Porrò sicut nimia dilatio, ita nimia compressio nocet. Cauendum igitur, ne nimiùm dilata- ta, fusa ac vaga, incerta, anceps, & ignara mens fluctuet. Quod ne contin- gat, oportebit loca, quæ sumpteris c- gregiè notare, vt perpetuò nobis hæ- rere possint.

3. Loca non sint nimis lucida, neque nimis obscura, ne tenebris hebeten- tur, aut nimio splendore memoriam turbent.

4. Loca

4. Loca sint optimè nota. Notitia locorum necessaria est: ex memoria enim locorum, dependet imaginum memoria.

5. Loca non sint nimis alta & sublimia, sed ut homines pro imaginibus positi, loca tangere possint.

6. Loca sint in parte quieta, quantum fieri potest, sita, ut & re & nomine possint imaginum rationi correspondere.

7. Locorum similitudo vitanda est. Sic enim ait Cicero: *Si quis multa intercolumnia sumpserit omnino, imilia, turbabitur similitudine, ut ignoret, quid quoque in loco collocarit.* Accidentalis loci differentia causat bonam dissimilitudinem unius loci maioris ab alio, ut videri potest in duabus ianuis, quæ vel per magnitudinem, vel per colorem, vel per positionem differunt.

8. Loca debent esse ordinata. Quidam putant in arbitrio esse locatis incipere à dextra vel sinistra. Capnio & Rauennas consueuerunt locos ordinato-

14 **D E A R T E**
ne locatos, à sinistra recensere ad dexteram.

9. Quintus locus signandus est, sicutq; quinarius unus distinctus ab alio: ita ut primo quinario ponatur crux aurea: in secundo, manus argentea: in tertio, rosa purpurea: in quarto, liliū, &c. Quintilianus & Cicero, quintum quemq; locum notandum commemorant, quod nobis aulas & cubilia intrantibus facile fiet. Quinti ergo loci minoris signatio vtilis est. Nam dum quintum locum egregie signabimus, locorum numerum in promptu habebimus.

10. Loca à nobis constituta, ter aut quater, in mense repetātur, vt eò fortius imprimantur. Repetitio enim locorum nullo pretio emi potest. Loci debent esse nobis præsentissimi, quod nullo pacto fieri potest, nisi per eorū frequentem & assiduam meditationē. Hinc Mantuanus dixit: *Sepè recordari meditamine fortius omni.*

D E

DE IMAGINIBVS.

Quid sunt imagines?

Sunt notæ & formæ quædam, & similitudines earum rerum, quas meminisse volumus.

Quot sunt divisiones imaginum?

Tres.

Quæ est prima imaginum?

Quædam sunt firmæ, & ad monendum idoneæ; ut sunt res magnæ, incredibiles, inuisæ, inauditæ, nouæ, rarae, admirabiles, habentes singularem, vel venustatem, vel turpitudinem. Vel quæ sunt ridiculæ, vel defendæ. Quædā sunt infirmæ & imbecilles, quæ vix excitare memoriam possunt; ut sunt res paruæ, usitatæ, quotidianæ. Nam iuxta naturam, quantò res animum nostrum minus commouerit, tantò citius labitur ex memoria. Contrà, quantò fortiùs mouerit, tantò diutius & firmius memoriarē permanebit impressa.

Quæ

Quæ est secunda imaginum diuisio?

Imagines aliæ sunt rerum, aliæ verborum.

Res sunt duplices: visibles & invisibles, corporales & incorporales.

Corporalium, aliæ substantiarum, aliæ accidentia. Voces similiter sunt duplices, quædam notæ, quædam ignotæ.

Quæ est tertia diuisio imaginum?

Imaginem, aliæ sunt simplices, ut dictionum, aliæ compositæ, ut sententiarum.

Quæ sunt imagines dictionum?

Quando vna quæque figuratur speciali imagine, ut homo, equus, asinus, suas habent imagines.

Quæ dicuntur imagines sententiarum?

Quando rem gestam, aut orationem pluribus dictionibus compositam, aut totam sententiam, historiam, fabulam, vel carmen vna imagine, vel pluribus comprehendimus: ut, quælibet plaga Ægypti habet suam imaginem, vel ranas, vel locustas.

Da con-

REMINISCENTIA. 17

Da conditiones imaginum?

1. Omnis imago debet esse mirabilis, iucunda, ridicula, crudelis, aut alia insigni passione affecta. Tales enim imagines plus mouent memoratem, & fortius imprimitur.
2. Imagines non debent esse ociosae. Quae enim exercitio carent, parum vel nihil mouent.
3. Imagines debent esse propriæ, ut rem memoradæ repræsentent. Hinc dissimilitudo imaginum vitanda est.
4. Multæ imagines non debent esse in uno eodemquè loco. Generant enim confusionem. Multæ tamen imagines unam rem significantes, possunt poni in uno loco: ut, pro bello, plures homines bellantes.
5. Imagines inuentæ sunt propter res memorandas, sicut loca propter ordinem.
6. Imagines debent sæpius repeti, ut eò firmius imprimentur. Debilitas enim impressionis impedit memoriā.
7. Cùm ad quinarium peruerteris,

B repe^te

repete in eo locata. Et cùm ad denarium peruereris, ambos quinarios repete, vt suprà dictum est de locis.

8 Si materia locata amplius uti nolueris, omnes imagines locatas dele. Non repetitæ enim delentur & pereunt. Tantùm de locis & imaginibus.

DE PRAXI ARTIS MEMORIAE.

Quo pacto locanda est materia memoranda?

Omnis dictio, vel materia memora-
randa locetur,

aut per { Similitudinem,
Comparisonem,
Figmentum,
Inscriptionem,
Colligantiam.

Sicenim scribit Quintilianus: *Opus est locis, quæ vel singuntur, vel sumuntur imaginibus, vel simulachris, quæ utique fingenda sunt.*

Et

REMINISCENTIA. 19

Et rursus: *Sensus non eandem imaginem, quam res habent, cum alterum singendum sit.* Et rursus: *Quædam nullis simulachris significari possunt: ut, certè, coniunctiones, &c.*

Generalis partitio dictiorum.

Omnis dictio aut est	Nota : aut res est	Ignota: hæc locatur, vel per figmentū, vel inscriptionē;
		Inuisibilis: hæc locatur, per figmentum, aliquando per inscriptionem, aut per compositionem, vt iustitia.
Accidens: visibilis quæ vel est	Accidens: subiectum principalius, vt albedo per niuem, lilium, cretam: nigredo, per cornuum, carbonem, &c.	Accidens: hæc locatur per suum visibilis subiectum principalius, vt albedo per niuem, lilium, cretam: nigredo, per cornuum, carbonem, &c.
		Inanimata, vt lapis, securis: hæc locatur, per personam agētem aliquid cum tali re.
substan- tia & ea vel	anima ta, que vel est nomē	communes: hoc locatur per persona- notam
		Propriū: sic locatur Pe- trus cū clavi- bus, Paulus cum gladio, Ioannes cū calice.

B 3 Quo-

Quomodo locatur dictio per similitudinem?

Cùm pro ea imaginem, siue idolum, in certo loco constituimus. Sic enim ait Quintilianus : *Non est inutile, quò facilius hæreant, aliquas apponere notas, quarum recordatio excitet memoriam.* Nemo enim ferè tam infelix, vt quod cuique loco signum destinauerit, nesciat, vt, si erit tardus ad hoc, eo quoq; adhuc remedio vtatur, vt ipsæ excitant notæ. Hinc est ex illa arte non inutile attendere signa ad eos, qui exciderunt, sensus, vt pote ancoram, si de nauigatione dicendum est, spiculum, si de prælio. Multum enim signa faciunt, & ex alia memoria venit alia, vt cùm translatus anulus vel alligatus, commoneat nos, cur id fecerimus. Hæc magis adhuc astringunt, quoniam memoriam ab aliquo simili transferūt ad id, quod cōtinendum est, vt in nominib. si Fabius fortè sit tenēdus, referamus ad illum Cunctatorem, qui excidere nō potest, aut ad aliquem amicum, qui idem vocatur Fabius.

Quotu-

Quotuplex est similitudo?

Duplex: Rerum & verborum.

Rerum similitudines exprimuntur,
cùm summatim ipsorum negotiorum
imagines comparamus.

Verborum similitudines cōstituuntur, cùm vniuscuiusq; nominis & vocabuli memoria imagine notatur. Rei totius memoriā sāpē vnā notā & imagine simpliciter cōprehendimus. Cū autem verborum similitudines imaginibus exprimere volemus, plus negotij suscipiemus, & magis negotium nostrum exercebimus. Facilior est rerum imaginatio, verborū autem difficilior. Oportebit igitur in hac secunda memoria naturalē crebrò exfuscitare, vt vocabulis positis, ipsi nobiscum transeamus bis aut ter eundem versum, seu vocabulorum ordinem: deinde cum imaginib. verba exprimamus. Hoc modo naturæ suppeditabitur doctrina.

Quales debent esse similitudines?

Sint similitudines multùm nobis cognitæ, & aliquid agentes, cum insi-

B 3 gni

22 DE ARTE

gni quadam nota , vel pulchritudinis,
vel turpitudinis, aut certè ridiculi cu-
iusdam. Ad eas constituendas pluri-
mum iuuare solent, quæ sequuntur.

1. Effectio corporum.

Vt cùm senem facimus tremulum,
incuruum, labiis demissis , canum, si-
licernium.

2. Notatio affectuum.

Vt cùm dicimus , lupum voracem,
lepores timidos. Sic, læta iuuentus,
tristis senectus , prodiga adolescentia,
auaræ mulieres , liberales viri, pallida
fames, & huiusmodi multa.

3. Etymologia.

Vt, Philippus, amator equorum, Ia-
cob, supplanator.

4. Onomatopæja.

Quando sumitur cognitio verbi, à
sono vocis: vt, Tarantala, hinnitus
equi , mugitus boum , rugitus leo-
num , bombitus apum, & huiusmo-
di.

5. Re-

s. Rerum effectus.

Cùm cuilibet mensi officia sua affi-
gnamus, cuilibet diei suū Planetam,
vel hebdomadæ exercitium.

DE COMPARATIONE.

*Quomodo locatur dictio per compa-
rationem?*

Cùm pro ea locamus imaginē, pro-
pter aliquam habitudinem, quam ha-
bent ad inuicem.

Quoties fit hæc locatio?

Multis modis, vt putet his versibus
Causa, vel oppositum, simul instrumenta,
vel actus

Consimilis facient te meminisse rei.

Sic: *Sydis Veneris* dicimus esse cau-
sam fælicitatis. *Panis* dicit nos in cogni-
tionem *pistoris, calceus futoris: nigrum*
ducit nos in cognitionem *albi: pius* in
memoriam *impij*. Opposita enim iux-
ta se posita magis lucent. Sic: *calamus*
ducit nos in memoriam *scriptoris, ra-*
strum in memoriam *agricolæ, arare* in me-
moriā *rustici, docere* in memoriam *eruditii.*

B 4 DE

DE ARTE
DE FIGMENTO.

Quo pacto locatur dictio per figmentum?

Cùm rei memorandæ nec similitudinem propriam, nec cōparationem conuenientem habere possumus, ad vocalē similitudinē nos conuertimus.

Quoties fit hæc locatio?

Trifariam.

1. Primò, quando pro dictione ignora, significante rem inuisibilem, locatur dictio nota, significans rem visibilem, quæ similis est in voce huic, pro qua ponitur: vt, quando pro præpositione *palam*, locamus *palam* instrumētū. Pro aduerbio, *herclè*, *Herculem*. Pro verbo *cano*, *canem*. Pro aduerbio, *cras*, *coruum* crocitantem.

2. Secundò, quādo pro literis syllabæ, aut syllabarum, locātur imagines nominum ab istis literis incipiētium: vt, pro coniunctione copulatiua, &, pono *Eusebium* & *Thomam*, aliquid agentes. Pro verbo, *amo*, *Antonium volvens* *Molam*. Pro verbo, *do*, *Dauidem* dan-

lū...

tem mihi donum. Pro verbo *emo*, *Eusebium* adferentem *Monetam falsam*.

Tertiò, quādo pro literis alphabeti,
locantur imagines viuæ, nobis notæ,
vel nominum communium, vel pro-
priorum. De communibus. 3.

Vt, pro *A*, *Asinus*: pro *B*, *Bos*: pro *C*,
Cervus: *D*, *dama*: *E*, *equus*: *F*, *formicarum*
multitudo: *H*, *hircus*: *L*, *lupus*: *V*, *ursus*.

De Propriis.

Pro *A*, *Antonius*. *B*, *Benedictus*: *C*, *Chrysostomus*: *D*, *Daniel*: *E*, *Erhardus*: *F*, *Franciscus*: *G*, *Gregorius*: *H*, *Hugo*: *I*, *Iohannes*: *L*,
Laurentius. *M*, *Matthias*: *N*, *Nicolaus*: *O*, *Othomarus*: *P*, *Petrus*: *Q*, *Quintinus*: *R*, *Rochus*: *S*, *Stephanus*: *T*, *Titus*. *V*, *Vincentius*.
Ravennas, pro literis formosissimas
puellas ponere solebat. Ait enim hoc
ipsum multūm incitare memoriam.
Sic enim inquit: *Mihi crede, si pro imaginibus puellas pulcherrimas posuero, facilius & pulchrius recito, quæ locis mandaui*. Et rursus: *Si citò meminisse cupis, virgines pulcherrimas colloca. Memoria enim collatione puellarum mirabiliter commouetur*.

B S DE

DE ARTE
DE INSCRIPTIONE.

Quo pacto locatur dictio per inscriptionem?

Cùm rei memorandæ, nec similitudinem propriam, nec vocalem, nec comparationem conuenientem habere possumus. Per literas tamen eandem designamus. Sic plures huic arti literas reales adiungunt, quæ multùm valent imaginibus appensæ, seu tanquam notæ inustæ. Sic per instrumentorum similitudinem, literarum imagines finixerunt, *A*, circinum extensum. *B*, ferrum ignarium. *C*, cornu. *D*, caput tauri. *E*, semirotulam. *F*, gladium. *G*, testudinem. *I*, turrim. *L*, normam. *M*, tripodem. *O*, nolam. *P*, pedum episcopi, &c. Sic alij quoque numerorum imagines finixerunt 1 2 3 4 5 6.

DE COLLIGANTIA, SI-
VE CATENA.

Quotuplex est colligantia?

Duplex: Naturalis & Artificialis.

Quæ

Quæ est colligantia naturalis?

Colligantia naturalis est, qua facile devno in aliud mouemur propter ordinem vnius ad aliud. Sic ordo elementorum, si rectè ponitur: vt, terra, aqua, aëris, ignis, facile reminiscitur. Sic plurimum iuuat memoriam, ordo in Grammatica, Dialectica, Rethorica, & aliis disciplinis.

Quid est colligantia artificialis?

Artificialis colligantia est, quando secundum nostram considerationem, vel imaginationem, una imago se exercet cum alia. Huius enim artis peculiare officium est, vt excitet, & moveat memoriam. Quare si res aliqua per se non mouetur, ponatur in magnum alicuius motoris: vt sic ex motu illo naturalis memoria commoueat: vt si velis habere memoriam horum nominum: *Petrus, flagellum, canis, sus, aqua, vermis, arena.* Fac talem colligantiam, & imaginationem, vt *Petrus flagello canem percutiat, canis vero verbere commotus, suem mordeat. Sus vero*

esta-

*euadere cupiens, vas aquæ vertat, incius
fundo vermes procreati, qui tegatur arena.*

Ad quid valet hæc colligantia?

*Vt sine cunctatione ac inora recen-
sere valeamus. Sic enim ait Quintilia-
nus: at quamlibet multa sint, quorum me-
minisse oporteat, fiunt singula connexa, quo-
dam choro, ne errent, coniungentes priori-
bus sequentia, solo ediscendi labore.*

*Quid vero sentiendum de locatione, que
per casus fit?*

Rauennas ait: se in corpore huma-
no casuum imagines inuenisse. Nem-
pe, vt caput sit Nominatiuus: manus dex-
tra, Genitiuus: manus sinistra, Datiuus: pes
dexter, Accusatiuus: pes sinister, Vocatiuus:
pectus, Ablatiuus. Præterea pro numero
singulari posuit idem, puellam nudam,
pro plurali verò, egregiè ornatam. Sed
hæc videtur multis curiosa, & parùm
commoda.

DE LOCATIONE QVA- DRIVPLICI.

I. De historiarum locatione.

Quo-

Quomodo locanda sunt historiæ?

Qui cupid locare historias, caueat
ne singula verba locet, hoc enim ma-
gis difficile est, quam utile. Sic enim
Quintilianus: *quomodo poterunt copulata
fluere, si propter singula verba ad singulas
formas respiciendum erit. Si longior com-
plectenda memoria fuerit oratio, proderis
per partes ediscere.* Et hæ partes non sint
perexiguæ, alioqui nimis multæ erūt,
& eam distinguēt atq; concident. Nec
utique certum imperauerim modum,
sed maximè vt quisq; finiretur locus,
nisi fortè tam sit numerosus, vt ipse
quoq; diuidi debeat. Dandi sunt certè
termini, vt contextum verborum, qui
est difficilimus, continuet crebra me-
ditatio, partes deinceps ipsas repeti-
tus ordo, coniungat.

Volens igitur Historiā locare, priùs
eam legat, vt sanè intelligat, deinde
cōsideret principalia membra, in qui-
bus tota vis historiæ consistit, eaque in
tot partes diuidat, quot opus & com-
modum fuerit, & quamlibet partem
senten-

30

DE ARTE

sententiaꝝ, per vnam imaginem locet.
Si fortè occurrerit Rethoricum ali-
quod schema, aut aliud quid egregiū
& notatu dignum, poterit & illud suis
imaginibus collocare. Collocata verò.
bis aut ter secum repeat, donec ani-
mo infigantur. Cicero enim ait: *in o-
mni disciplina infirma est artis praeceptio,
sine summa assiduitate exercitationis, tum
verò in p̄nproviis minimū valet doctri-
na, nisi industria, studio, labore, diligen-
zia comprobetur.*

Lib. 3. ad
Heren.

2. DE ORATIONVM SIVE CONCIONVM LOCATIONE.

*Quomodo locanda est oratio, siue concio,
quam quis ex alio auditu-
rus est?*

Cùm retinere volumus ea, quæ per
alium audimus proferri, plures inci-
idunt difficultates. Nam si is qui loqui-
tur, boni oratoris ordinem in dicendo
seruauerit, facile poterimus audita
memoriæ commendare, si verò flu-
tuans in dicendo, ex principio ora-
tionis

tionis inciderit in finem, & rursus ex fine in medium, deinde rursus in principium, sic nempe difficile erit nobis, audita seruare.

Cum itaq; audimus bene narrantē, oportet tota mētis intentione omnes orationis partes, cohærētias & distinctiones notare: quod faciemus, si in principio totum animum applicuerimus, vt audiamus, per quid sumat exordiū, quid deinde narret, si quid partiatur, quib. & quot deinde vtatur rationibus, argumentis, exemplis, confutationibus, deinde quomodo perorēt. Hæc omnia oportet certis locis & imaginibus collocare, vt eò firmius retineantur, tandem oratione vel concione finita, debent hæc omnia bis vel ter transcurri & repeti, donec animo bene insideant.

*Quomodo locanda est oratio vel concio,
quam quis dictu-
rus est?*

Declamaturus, primū legat orationem aut concessionem, vt sanè intelliga-

telligat, deinde diuidat eā, in aliquot articulos siue partes, & si opus fuerit, subdiuidat quamlibet partem. Sicut enim confusa vnio multorum est causa erroris & obliuionis, ita ordinata diuisio est mater intelligētiæ, & conseruatrix memoriæ. Quintilianus ait: *In iis, quæ scripsimus, complectendis, & in iis quæ cogitamus, cōtinendis, multūm valent diuisio & compositio.* Nam qui rectè diuiserit, nunquam poterit in rerum ordine errare: sic etiam quæ bene composita erunt, memoriam serie sua ducent. Nam sicut faciliùs versus ediscimus, quàm prosam orationē, ita prosam vinctam faciliùs, quàm dissolutā. His omnibus ritè peractis, tribuat cui libet parti suam imaginem, & in certa loca collocet, collocata bis tērve secum repetat, donec animo tenaciùs hæreant.

Si autoritas aliqua, vt pote Augustini, Ambrosij, vel alterius alleganda est, poteris pro autore locare amicum, huius nominis tibi notum, & dicto auto-
ris tri-

REMINISCENTIA. 33

ris tribuere imaginem, quæ sensum dicti repræsentet.

Quantitatem verò libri, distinctio-
nis, quæstionis aut capit is, imagines
rerum, numerorum formas habētes,
demonstrabunt: ut figura baculi ostendit
unitatem. 1. anseris. 2. serpentis. 3. zonæ re-
tortæ. 4. figura baculi silicernij. 5. testudinis.
6. ligni. 7. serti retorti. 8. clavæ. 9. figura ba-
culi Iacobi, cum concha ostendit decē. 10. cor-
nu venatoris, centum. C. Corona Imperato-
ris, mille. M.

DE ARGUMENTORVM
LOCATIONE.

Quo pacto locantur argumenta?

Argumentationis potissima species
est syllogismus. Syllogismi igitur loca-
tione bene cognita, facile quamlibet
speciem argumentationis locare po-
terimus. Quando autem Syllogismus
cōstituitur ex tribus propositionibus,
maiore videlicet, minore & conclu-
sione, quidam syllogisticum argumē-
tum sic locandū putant, ut maior pro-

C positi-

positio in dextera, minor in pectori,
& conclusio in sinistra manu locetur.
Alij quia vident, in argumentorū me-
moria requiri promptitudinē, super-
uacaneum putāt, pro qualibet dictio-
ne propriam imaginem locare. Aiunt
igitur sufficere memoriam medij: cu-
ius rationem adfert Aristoteles: *Mediū,*
inquit, est tota vis & virtus Syllogismi.
Exempli gratia: Quicquid peperit ha-
bet lac: mulier peperit, ergo, mulier
habet lac. Hīc pro imagine totius Syl-
logismi, poteris ponere mulierem la-
ctantem puerum.

4. DE CARMINVM LO- CATIONE.

Quomodo locantur Carmina?

Carmina, versus, metra, duabus viis
possunt memoriæ commendari.

Primò via repetitionis. Quia enim
Carmina per se memoriam adiuuant,
notata prima dictione, facile memo-
ria possunt comprehendi. Et si adhuc
difficultas apparuerit, possunt addi si-
militudines dictionū harum. Sc-

REMINISCENTIA. 35

Secundò, via sententiæ, vt scilicet
notetur sententia carminis, & pro illa
imago suo loco collocetur. Deinde ac-
cedat frequēs repetitio, tum ars mul-
tūm iuuabit naturam. *Carmina enim ex
sui natura facilia sunt memoratu*, vt ait
Quintilianus. Versus:

*Metra iuuant animos: comprehendunt plu-
rima paucis,
Et bene commemorant: sunt hæc triagrata
legenti.*

DE NOCVMENTIS ET
ADIVMENTIS MEMORIAE.

Quot accidunt memoriae?

Tria: Corruptio, Diminutio & Ab-
latio. Aliquando enim corruptitur
memori, aliquando diminuitur, ali-
quando penitus aufertur. Corrumpi-
tur, quando species rerum præterita-
rū obliuiscimur. Diminuitur, quando
accedunt passiones, ægritudines, certi
morbi, & alia nocumenta. Aufertur,
quādo cerebrum, aut aliqua eius pars,
vehementer læditur.

C 2 Quæ

Quæ sunt ergo nocumenta illa memoriae?

Omnis qualitates primæ, quæ sunt inflatiæ, nocent: præsertim verò comestio vaporosorum, ut est, sinapi, allium, cæpe, caules frigidæ & albæ. Nima fructuum frigidorum comestio, acetosa multa nocent: nimius cibus & potus: præsertim ante somnum: somnus statim à prandio vel cœna: dormire in calceamentis, nimius furor, ira, tristitia, & alij affectus animi plurimùm nocent.

DE ADIVMENTIS ET
SVB SIDIIIS MEMORIÆ.

Quibus rebus adiuuatur memoria?

Multis: scilicet, natura, arte, vsu, ordine, vacatione, quiete & bona dīcta.

Quomodo adiuuatur natura?

Bona enim complexio iuuat memoriam. Hinc sanguinei sunt bene memoratiui, melancholici non ita. Sic pueri, ægroti, senes, timidi, & ebrij quoque sunt malè memoratiui. Porrò q prorsus carent naturali memoria & ingenio,

nio, frustra in hac arte sudant.

Segnes verò & desidiosi, quamuis illustri pollent ingenio, & sat citò huius artis fundamenta concipient, cùm tamen primo atq; altero die non possunt esse magistri, mox è gremio librū projiciunt, atq; omnia contemnunt.

Quomodo arte?

Cupiens huius artis habitum adipisci, curet in primis, ut plurimos habeat locos electos, & arti accommodatos: deinde sumat imagines suo proposito conuenientes, nec prorsus consuetas, quia ea quæ sunt inconsueta, magis miramur, & tenaciùs hærent. His ritè collocatis, sese exerceat quotidiè. Quintilianus ait: *Argumentum est, subesse artem aliquā, iuuariq; ratione naturam, cùm docti idem facere, illud indocti, & in-exercitati non possumus.*

Quomodo adiuvatur memoria, usu & exercitio?

Vsus & ars docuit, quod sapit omnis homo. Repetitio quoq; locorum & imaginum, iimò lectionum ipsarum valdè

C 3 vtilis

utilis est, Horatius: *Lectio lecta placet, de-
cies reperita placebit.* Et Quintilianus:
*aut si quis unam maximamq; à me artē me-
moriæ querat, exercitatio est & labor, mul-
ta ediscere, multa cogitare.* Etsi fieri possit
quotidiè potissimum est.

Nil æquè vel augetur cura, vel negli-
gētia intercidit. Quare & pueri statim,
ut præcepi, plurima ediscant, & quæ-
cunq; ætas operā iuuandæ studio me-
moriæ dabit, deuoret initiò tedium
illud, & scripta & lecta sæpiùs reuoluē-
di, & quasi eundem cibum remandē-
di. Quod ipsum hoc fieri quā leuius,
si pauca primū, & quæ tedium non
adferant, cœperimus ediscere, tū quo-
tidie adiicere singulos versus, quorum
accessio labori sensum inesse, menti
non adferat, in summam ad infinitum
usque perueniat.

Quomodo ordine?

Ordo enim plurimum lucis adfert
memoriæ, & ordinata facile sunt remi-
niscilia. Hinc Aristoteles ait: *Sicut duo
sunt impedimenta, quæ naturalem memo-
riam*

REMINISCENTIA. 39

riam impediunt, scilicet ordinis confusio, & impressionis debilitas, ita duo sunt iuramenta memorie naturalis, scilicet positio locorum & imaginum sub certo ordine, & frequens meditatio.

Vacatione vero & quiete quomodo?

Anima sedendo & quiescendo fit prudens, nota est sententia. Memoria enim vehementer distrahitur, per continua externarum rerum occupationem.

Sed quæ tandem est bona illa diæta?

Quæ constat interuallis studiorum, Carentia adfectuum, Conuersatione & Victu: & primùm quidem,

Studiorum interuallis.

Quia danda sunt ingeniis interualla, & ut Quintilianus ait: danda est omnibus aliquaremissio: non solum, quia nullares est, quæ perferre possit, continuū labore, sed quòd studium discendi voluntate, quæ cogi non potest, constat. Itaq; & virium plus adferunt ad descendum renouati ac recētes, & actiorēm animum, qui ferè necessitatibus repugnat.

C 4

Hab

Hac quoq; non est vtendum in studio quotidiano, sed potissimum in studiis difficillimis & necessariis, vt potest in disputationibus, in causis forensibus & concionibus. Proinde studium matutinum & antelucanum facilius est, quam diurnum & vespertinum, propter silentium, & quia animus liber est ab occupationib. externis. Hinc Quintilianus ait: *Mirum dictu est, quantum nox interposita adferat firmitatis, siue quietis labor ille, cuius sibi ipsa fatigatio obstat, siue maturatur accoquitur, seu firmissima eius pars est recordatio, que statim referri non poterant, contexuntur postero die, confirmatque memoriam idem illud tempus, quod esse in causa solet obliuionis.*

Deinde affectuum carentia.

Affectus enim, ut sunt curæ, mœror, tristitia, timor, ira & huiusmodi, valde obscurant memoriā. Notæ sunt sententiæ poëtarum:

Cura diminuunt animum.

*Moror & affectus alij, de cardine mentem
Sapè levat: animo serua venit ager ab agro.*

Cato:

Cato:

*Impedit ira animum, ne possit cernere verū,
Obtundunt siquidem curarū pōderas sensus.*

Pōst conuersatione.

Seneca inquit: *cūm his versare, quī te
meliorē factūrī sunt: illos admīsse quos tu
poteris facere meliores.*

Et tandem viētu.

Sobrietas enim cibi & potus maxi-
mē iuuat memoriam , intemperantia
contra & ebrietas impediunt. Hinc
Quintilianus ait: *Certum est plurimū
conferre memoriae bonam valetudinem, di-
gestum cibū, animum cogitationibus aliis
liberum.*

Appendix.

Quando autem memoria princi-
pium habet à natura, & perfectionem
ab arte, operæ pretium est addere ex
medicorū scriptis, quæ naturalia po-
tissimū memoriam iuuāt , & memo-
rantem expeditiorem reddunt.

*Quae igitur diēta obseruanda est in
arte memoriae?*

Quando corruptio memoriarū est à

C s causa

causa sicca, tunc valde utilis est diæta
resumptiua cum suauitate vitæ. Quā-
do autem est à causa frigida & humi-
da, habitatio sit in domo clara & pura:
vitetur luxuria nimia. In ea enim calor
naturalis, & spiritus vitales dissoluun-
tur, & debilitatur cerebrum.

Quotuplicia sunt adiumenta memoriae?
Duplicia. Simplicia & Composita.

Quæ sunt simplicia?

Vsus fructuum stipticorum, assato-
rum: auellanarum, castanearum, præ-
fertim post comedionem. Aues & ce-
rebella auiū maximè conueniunt mo-
deratum exercitium ante prandium &
cœnam. Expulsio superfluitatum, per
loca cōsueta & debita, gaudium tem-
peratum.

Lotio pedum cum decoctione fæni-
culi, melissæ, foliorum lauri & camo-
milli. Lotio capitis semel in hebdoma-
da cū lixiuio, in quo temperentur flo-
res camæmilli. Item salvia, melissa, ser-
pillum, Betonica, &c.

Cōuenit etiam vsus Coriandri præ-
parati,

REMINISCENTIAE. 43

parati, Zinziberis conditi, masticatio masticis cum zinzibere, post esum, etiam ieiuno stomacho. Conuenit quoque masticatio piretri, thuris albi, puf-
fulæ, mirobolani cōditi, & ferè omnes species mirobolanorum.

Similiter omnia ingredientia confectionis anacardinæ, & quæ ordinariè sequuntur in recepto sequēti, possunt simpliciter & compositè sumi ad confortandam & recuperandam memoriā.

Quæ sunt composita?

Ea sunt duplia. Alia euacuatiua,
alia confortatiua.

Quæ sunt euacuatiua?

Pillulæ s. specierum mirobolanorū.

Pillulæ de hiera picra Galeni.

Pillulæ de hiera Rufini.

Confectio Theodoric.

Pillulæ Arabicæ.

Pillulæ sine quibus esse nolo.

Hæc omnia secundū quodlibet suam dosim euacuāda superflua cōuenit, & profund capiti, & memoriarum, visui & auditui.

Quæ

Quæ sunt confortativa?

Confectio Anacardina.

Dia Cimini.

Diatrion piperon Dianthos.

Sequens medicina (vt Doctores a-iunt) valet & conuenit capiti & cerebro, virtuti animali, sensus quoq; corroborat, & memoriam confirmat, & bonā digestionem operatur, facit hominem subtilia & alta speculari. Cum bono regimine & perfecta diæta, &c.

Puluis utilis.

Recipe Foliorum Ambrosianæ.

Maioranæ.

Saluiæ.

Betonicæ.

Melissæ.

Ana i. ij. Baccarum lauri, seminis Peoniæ, seminis Melissæ, ana dragmas tres, seminis ozimi, sisami, ana dragmā vnam, zeduariæ, cimini præparati, ana 3.ij. cubebæ, nucis muscati. Maceros, Charioffili trium granorum Piperis, Cardemomi, ana dragmam vnā, zingiberis albi liquiritiæ raso, ana vnciam scmis,

REMINISCENTIA. 45

semis, Mirobolanorum, citrinorū Indorum, ana dragmas tres, Turis masticis ana dragmā semis, Coriandri præparati vnciā semis, puluerisanda puluerisentur, misce saccari albi libram vnam.

*De isto puluere Electuarium fiat, ut
sequitur.*

Recipe istius pulueris vncias duas, addendo Corticis citri conditi vel exiccatai, vnciam vnā. Conseruæ anthos vnciam semis, Carnium cethoniorum Passularum, ana vncias duas, saccari canditi vncias quatuor, liquefac saccarum cum aqua Melissæ, & fiat electuarium cum Sirupo, de zinzibero condito, obseruetur in fictili.

Notandum in diminutionem memorie, & ad recuperandum eam, valent & conueniunt omnia, quæ in licargia prosunt. Testimonio Auicennæ, & duci Ioannis Mesuæ.

Linimentum, conferens litargiæ, & obliuioni & congelationi.

Recipe oleorum sambucini vnciam vnam,

46

DE ARTE

vnam, olei de Been vncias duas, Eufor-
bij vnciam semis, Castorij dragmam v-
nam, siat linimentum, vngatur cum eo
locus memoriae, quondam confert.

Medicamen Hali.

Conseruans memoriam, senib. con-
ferens.

Recipe, mellis Anacardini partes
duas, Olibani, Ciperi, Acoriana, vn-
cias duas, piperis macropiperis ana vn-
ciam semis. Cebulorum Indorum vn-
cias duas, Cimini præparati vnciam v-
nam, mellis cocti & despumati, quan-
tum sufficit pro electuario.

Aliud.

Ad restorationem memoriae, con-
seruans & reparans eam, secretum Io-
annis Mesuæ.

Recipe, mellis mirobolanorū che-
bulorum librā vnam, piperis longi vn-
ciastres & semis, teratur piper, & mi-
sceatur cum mille & chebulis, aroma-
ticetur cum Galliae muscatæ 3. iiij.
must. 3. i. misce, & sumatur de eo om-
ni mane in ieunio, ana dragmas ij. ad
iiij. vcl

REMINISGENTIA. 47

iiiij. vel quinq; dragmas, & non vltra.

Aliud simplex ad idem.

Recipe, puluis melissæ, collestæ in
mense Maio, vnciam semis, quolibet
mane cum vino albo tepido, vel cum
brodio pulli.

Aliud simplex.

Recipe, grana thuris masculi de se-
ro, vel mane tria vel quatuor grana, in
vino prius madefacta.

Aphorismi.

Corpus teneatur mundum à super-
fluis ventris, adsit beneficium si nō na-
turale, saltē artificiale. Abstineat me-
morans à cibis salitis, fumidis, grossis
& difficiliis digestionis. Allia, cæpe, &
omnia legumina vitet. Vitet quoq; ci-
bos generates materiam flegmaticam
& viscosam, ut, carnes porcinas, aues
aquaticas, & pisces viscosos. Vitentur
vina fortia, potus grossus, acetosa, coi-
tus nimius & adfectus.

Iuvant memoriam, fricatio capitis
panno lineo & calido.

Zinziber conditū, bis in hebdomada
iciuno stomacho sumptum. Con-

48 DE ARTE REMINISC.

Confectio anacardina, semel in hebdomada manè ad quantitatem ciceris sumpta.

Oleum Philosophorum occipitio inuncto, reparat memoriam.


Buglossa quocunque modo sumatur, valet.

Nil salubrius Theriaca, in fouendis conseruandisq; membris, viribus, spiritibus, atque ingeniis.

Sapè recordari medicamine fortius omni-

Tantum de memoria.

F I N I S.





1640-14

AB 164 014

X 1379654

ULB Halle
005 938 422

3




UDK





Farbkarte #13



Artis Memoriæ,
eū potius Reminiscētia,
RS SECUND A:
EA, QVÆ
ENVS DE ME-
TAM NATVRALI IV.
YAM ARTIFICIOSA AC-
Etissimis quidem viris, nimis rā-
rè, atq; inuolutè fuerunt per-
ta: nunc in gratiam stu-
diosæ juuentutis,
TIONES SEV EROTEMATA,
perspicuè enucleantur: vt porrè etiam
ueris maxim o possint esse usui.

Authore,
H. S. P. HERD.



PTI: Per Joachimum Bratheringium.

M. D. C. III.